

in potentia, neg. mai. Item *dist. min.*, si non continentur neque *in actu*, neque *in potentia, conc. min.*, si continentur *in potentia, neg. min.* *Neg. cons.* Et sane, illud, quod educitur, debet esse in eo, a quo educitur, non *actu*, sed *potentia*, nam educio transitum de potentia in actum denotat. Iam formae non quidem *actu latitant in materia*¹, sed *potentia* continentur in ipsa. Nam omnis res *potentia* in se continet id, ad quod est in potentia. Atqui materia in potentia est ad omnes formas in se recipiendas. Ergo formae *potentia* in materia continentur². Itaque, si formae in materia *potentia* continentur, educio formarum a Scholasticis admissa nihil praesert absurdum. Qua ratione autem forma de potentia materiae educatur, ita explicatur: Cum agens naturale non producat ullam rem, nisi aliquam materiam transmutet de *non esse* ad *esse* alicuius formae, ad quam ipsa materia in potentia est, liquet materiam ad productionem formae concurrens ex eo, quod ipsa adiuuat agens naturale ad productionem formae³. Quod quidem, monente s. Thoma⁴, non est intelligendum, quasi materia aliquid agat, sed, ut diximus, quantum materia ad formam in se recipiendam apta est.

44. Obiic. 3°. *Privatio* denotat defectum realitatis. Ergo non potest quidquam conferre ad generationem alicuius rei.

¹ Cf s. Thom., I, q. XLV, a. 8 c.

² Hinc s. Bonaventura, secundum s. Augustinum (*De Trin.*, lib. III, c. 8, n. 3), inquit: « Rationes seminales omnium formarum sunt in ipsa (materia) »; *In lib. IV Sent.*, Dist. XLIII, a. 1, q. 4 *resol.* Qua in re s. Thomas monet formas, secundum quod sunt in potentia, a Deo materia concreari (cf etiam s. Aug., *ibid.*, c. 9, n. 16), et, secundum quod sunt in actu, de potentia materiae educi per agens naturale; *Qq. disp.*, *De Pot.*, q. III, a. 4 ad 7. Scilicet, qualitates naturales educuntur de potentia materiae; quarum inchoationes quasdam materiae Deus opere creationis indidit; *In lib. I Sent.*, Dist. XVII, q. II, a. 2 *sol.*

³ « In ipsa materia, inquit s. Bonaventura, aliquid est concreatum, ex quo agens, dum agit in ipsum, educit formam »; *In lib. II Sent.*, Dist. VII, p. 2, a. 11, q. 1 *resol.* At vero, « in prima corporalis creaturae productione non consideratur aliqua transmutatio de potentia in actum. Et ideo formae corporales, quas in prima productione corpora habuerunt, sunt immediate a Deo productae, cui soli ad nutum obedit materia, tamquam propriae causae Unde ad hoc significandum Moyses singulis operibus praemittit: Dixit Deus fiat hoc, vel illud. In quo significatur formatio rerum per verbum Dei facta, a quo, secundum Augustinum, est omnis forma, et compago, et concordia partium »; I, q. LXV, a. 4 c.

⁴ *In lib. II Sent.*, Dist. XVIII, q. I, a. 2 *sol.*

45. *Resp.*, *Neg. cons.* Etenim privatio ad generationem corporis non concurrit tamquam principium, quod componit id, cuius est principium, nempe tamquam pars, quae ipsum genitum constituit; sed tamquam principium, a quo generatio proficitur. « Dicitur etiam, apposite ait s. Thomas, principium generationis, a quo incipit generatio, et hoc modo principium, vel initium generationis est privatio formae inducenda ».

CAPVT II.

De essentia corporis

46. « In rebus compositis ex materia, et forma, ait s. Thomas, essentia significat non solum formam, nec solum materiam, sed compositum ex materia, et forma communi, prout sunt principia speciei² ». Quare ad naturam corporis intelligendam satis non est cognoscere, quid sit forma, et quid sit materia, sed cognoscere etiam oportet, quid sit corpus, quod ex utraque conflatur, sive in quo consistat essentia, seu esse *essentialie* corporis, quod ex copulatione formae cum materia constituitur.

ART. I. Aliorum Philosophorum sententiae de corporis essentia reiciuntur

47. Lockius ratus essentiam corporis positam esse in collectione omnium eius proprietatum, statuit essentiam corporis nobis latere, quippe quod non omnes eius proprietates exploratas habemus³. Cartesius, cui, praeter alios multos, Malebranchius⁴ adhaesit, essentiam corporis in tria dimensione, sive extensione posuit⁵. Multi recentes essentiam corporis in eo sitam esse volunt, quod ex substantiis physicis veluti partibus confletur⁶. Lockii sententiam sine examine mittimus, iam enim a nobis demonstratum fuit 1° nullius rei essentiam, sive substantiam in

¹ *In lib. I Sent.*, Dist. V, q. III, a. un. *sol.* Quare, monente eodem sancto Doctore, privatio dicatur principium esse fiendi, sed non essendi »; *Qq. disp.*, *De Pot.*, q. III, a. 1 ad 16.

² I, q. XXIX, a. 2 ad 3.

³ *Essais etc.*, lib. III, c. 6, § 21. — ⁴ *Entretiens etc.*, Entret. 1.

⁵ *Les principes de la phil.*, part. 1, § 53.

⁶ Hinc in multis philosophiae Institutionibus corpus vulgo definitur id, quod ex partibus constat; eamdemque esse compositi, et corporis notionem asseritur.

collectione omnium eius proprietatum consistere posse¹; 2° falsum esse illud, quod Lockius cum aliis autem avit, essentias rerum nobis perspectas esse non posse².

48. Alias duas sententias sequentibus propositionibus refellimus:

Prop. 1°. *Essentia corporis physici in tribus dimensionibus, seu in extensione non consistit*³.

Probatur. Si essentia corporis in trina dimensione posita esset, consequeretur, ubicumque existit trina dimensio, ibi corpus inveniri oportere. Atqui consequens est falsum; nam trina dimensio non solum in corpore, sed etiam in loco, et in spatio, quae corpora non sunt⁴, inveniuntur; quia utrumque cum secundum longitudinem, tum secundum latitudinem, tum denique secundum profunditatem metiri nobis licet. Ergo trina dimensio essentiam corporis haud constituit⁵.

49. Praeterea, extensio, seu quantitas, perinde ac qualitas, aliaque accidentia, a substantia reipsa distinguitur⁶, quippe quod extensio expostulat rem, quae est extensa⁷. Atqui, si extensio a substantia reipsa distinguitur, sequitur essentiam corporis non posse in extensione consistere; quia, cum essentia rei ipsam rem constitut, corpus a sua essentia nec distingui, nec veluti distinctum intelligi potest. Ergo essentia corporis ponenda non est in trina dimensione, sed corpus, ut mox dicemus, veluti

¹ Cf *Ontol.*, c. VII, art. 2, p. 41. — ² *Ibid.*, c. II, art. 2, p. 14.

³ De corpore *physico* hic agimus, nempe spectato cum qualitatibus sensilibus, quibus in rerum natura existit; essentia enim corporis *mathematici*, nempe abstracti ab omni qualitate sensibili (Cf *Log.*, p. I, c. I, art. 7, p. 17, not. 1, vol. I) non nisi in trina dimensione posita esse potest, quia nihil aliud in eo praeter tres dimensiones invenitur.

⁴ Cf *Ontol.*, c. X, art. 3, p. 77-78. Hoc inde etiam confirmatur, quod si spatium et locus essent corpora, « cum locus et locatum sint simul, sequeretur, duo corpora esse simul; quod est inconveniens »; *In lib. IV Phys.*, lect. II.

⁵ Hinc s. Thomas ait: « Corpus habet terminos duplicitis rationis, scilicet quantitatis, et essentiae »; *In lib. II Sent.*, Dist. VIII, q. I, a. 5 ad 3.

⁶ « Quantitas secundum esse suum dependet a substantia, sicut et alia accidentia »; *In lib. IV Sent.*, Dist. XII, q. I, a. 1, sol. 3 c.

⁷ Id auctoritate ss. Patrum quoque probatur. Hi enim docent in corpore aliud esse quantitatem, aliud vero id, quod quantitate pollet. Cf s. Greg. Nyss., *De hominis opificio*, c. 24; s. Basil., *Homil. VI in Hexaem.*, n. 3; s. Aug., *De Trin.*, lib. V, c. 10.

substantia, quae trinam dimensionem exigit, intelligendum est.

50. Denique Cartesius essentiam corporis in extensione posuit ex eo, quod ratus est omnia, quae conspicua nobis in corpore sunt, ab extensione manare. Atqui ratio omnium proprietatum, quae in corpore conspiciuntur, reddi non potest ex sola extensione, e. g., ex sola extensione nequeunt figura, et activitas corporis explicari. Ergo¹.

51. Prop. 2°. *Essentia corporis in collectione plurium substantiarum compositarum reponenda non est.*

Probatur. Quodlibet corpus unum *per se* esse debet, quia quodlibet ens, hoc ipso, quod est ens, est unum *per se*. Atqui plures substantiae compositae, si uniantur, efficiunt unum *per accidens*, non vero *per se*². Ergo essentia corporis in collectione plurium substantiarum compositarum posita esse nequit.

¹ Falsitas huius sententiae ex doctrina Ecclesiae Catholicae de SS. Eucharistiae Sacramento valde confirmatur. Etenim sacrosancta Synodus Trid. decrevit in SS. Eucharistiae Sacramento, per consecrationem, totam substantiam panis in Corpus Christi, et totam substantiam vini in Sanguinem Eius converti (*Sess. XIII*, can. 2); et Catechismus Romanus, qui ad illius Synodi doctrinam exponendam concinnatus fuit, tradit Christum Dominum in Sacramento non esse « ut magnus, et parvus est, quod ad quantitatem pertinet, sed ut substantia est: substantia enim panis in Christi substantiam, non in magnitudinem, aut quantitatem convertitur » (*Pars II, De Euch. Sacr.*, n. 43). Quod iam s. Thomas (III, q. LXXXVI, a. 4 c.) tradidit his verbis: « Ex vi Sacramenti quantitas dimensiva Corporis Christi non est in hoc Sacramento. Ex vi enim Sacramenti est in hoc Sacramento illud, in quod directe conversio terminatur: conversio autem, quae fit in hoc Sacramento, directe terminatur ad substantiam Corporis Christi, non autem ad dimensiones Eius ». Quocirca quantitas dimensiva Corporis Christi non est in hoc Sacramento, nisi *concomitant*, et *quasi per accidens*; et « ideo quantitas dimensiva Corporis Christi est in hoc Sacramento, non secundum proprium modum, ut scilicet sit tota in toto, et singulæ partes in singulis partibus; sed per modum substantiae, cuius natura est tota in toto, et tota in qualibet parte » (*Ibid.*, et ad 1). Atqui haec duo illustri argumenta sunt essentiam corporis positam non esse in trina dimensione, sive in extensione. Namque, si tres dimensiones essentiam corporis constituerent, illae ab ista separari numquam possent; at vero, si res ita se haberet, profecto in SS. Eucharistiae Sacramento nec tres dimensiones panis, et vini remanere possent sine substantia, nec substantia panis in Corpus Christi, non prout est quantum, sed prout est substantia, converti posset. Ergo ex decreto Synodi Trid. et doctrina Catechismi Romani, qui illud exposuit, essentia corporis in trinis dimensionibus ponenda non est.

² « Ea, quorum forma est ordo, vel compositio, non sunt res naturales, ut sic eorum unitas possit dici unitas naturae »; *Contr. Gent.*, lib. IV, c. 35.

52. Ut hoc argumentum magis perspicuum fiat, observandum est ex pluribus non posse aliquid, quod est unum per se, effici sine aliquo principio, quod ipsa ita pervadit, ut unum ex iis existat, divisible quidem *potentia* in plures partes, sed indivisum *actu*. Quapropter partes corporis non possunt constituere corpus sine aliqua vi, qua continentur, atque unum efficiunt. Iam, si praeter partes, ex quibus corpus coalescit, opus est ad corpus efficiendum aliqua vi, seu principio activo, ex quo ipsae cohaerent, atque in unum coalescent, liquet essentiam corporis ex eo constitui non posse, quod corpus ex pluribus substantiis compositis, ceu sui partibus, conflatur.

ART. II. *Vera sententia circa essentiam corporis adstruitur*

53. Doctores mediae aetatis, si Ockam excepéris, conciderunt docuerunt corpus tribus dimensionibus, nempe *extensione*, natura sua praeditum esse, corporis autem essentiam non esse positam in *actuali extensione*, sed in *exigentia extensionis*, sive, ut nonnulli aiunt, in *extensione radicali*¹. Quocirca dimensiones, ex eorum sententia, a corpore virtute Divina separari queunt, sed, si hoc fiat, corpus illas semper *exigit*, neque hac *exigentia* expoliari potest; quippe quod, si licet nobis substantiam corpoream sine actuali extensione intelligere, necesse certe est, ut illam veluti optam ad hanc recipiendam intelligamus.

54. Veritatem huius sententiae demonstramus sequenti Propositione:

Essentia corporis in eo posita est, quod est substantia composita ad trinam dimensionem recipiendam apta.

Probatur. Certum est 1° corpus sine tria dimensione, seu extensione naturaliter esse non posse; 2° quamvis non omnes proprietates corporis a sola tria dimensione orientantur, tamen tria dimensionem intelligi veluti fundamentum, et subiectum omnium proprietatum, et affectionum, quae in corpore sunt. Quapropter essentia corporis vel in *actuali extensione*, vel in *exigentia extensionis* ponenda est. Atqui essentia corporis in *actuali extensione*, quemadmodum ostendimus, posita esse nequit. Ergo ipsa in *exigentia extensionis* consistit, nempe, ut s.

¹ Scholasticis hac quoque in re plausit Leibnitius; cf *Syst. theol.*, et *Lettre sur la question, si l'essence du corps consiste dans l'étendue.*

Thomas ait², in eo, « quod rei corporali debetur habere tres dimensiones ».

55. Extensionem non *actualem*, sed *radicalem* esse, quae essentiam corporis constituit, confirmatur hoc argumento: Essentia substantiae corporeae in illa extensione est reponenda, quae ipsi dumtaxat convenit. Atqui extensio *radicalis*, non vero *actualis* convenit uni substantiae corporeae; quia extensio *actualis* convenit quoque accidentibus; at non *radicalis*, sive *exigentia extensionis*, quia accidentia non per se, sed ratione subiecti, in quo sunt, extensionem exigunt. Ergo extensio *radicalis*, non vero *actualis* essentiam substantiae corporeae constituit³. Quae cum ita sint, corpus dici potest *substantia trinam exigens dimensionem*.

CAPVT III.

De praecipuis corporum proprietatibus

ART. I. *De extensione*

56. Extensio, sive quantitas continua, est illa corporis proprietas, per quam ipsum habet partes extra partes, atque eas communis vinculo colligatas, ita ut unum *per se* efficiant. Quomodo haec proprietas in corpore existat, ex doctrina, quam defendimus, de constitutione corporis haud difficile est intelligere. Nam si corpus, uti ostensum est, ex materia, veluti principio passivo, et ex forma, veluti ex principio activo, exurgit, nemo non videt a materia pullulare oportere partes, ex quibus corpus componitur, atque per formam partes ita inter se cohaerere, ut unum *per se* efficiant. Et sane, cum forma sit, ut Cicero ait⁴, quaedam vis, quae materiam pervadit, ipsa efficit, ut materia cohaereat, trinasque dimensiones quantitatis adquirat.

57. At vero sautores Dynamismi, uti alibi adnotavimus, extensionem nonnisi phaenomenicam admittunt⁵. Quare ostendimus contra ipsos sequentem Propositionem:

Extensio corporum est realis.

Probatur. 1° Nos corpus non sentimus, nisi prout extensum, seu *quantum* est⁵. Atqui perceptiones corporis esse objectivas

¹ Contr. Gent., lib. IV, c. 81. —² Cf s. Basil., Hom. III in Hexaem., n. 4.

³ Acad. Quæst., lib. I, c. 6. —⁴ Vid. p. 94.

⁵ Cf s. Thom., Qq. dispp., De Ver., q. VIII, a. 2.